



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

23. Num Adgillus, Radbodus, veri fuerint Reges Frisiae, An tantum Duces.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Num Adgillus, Radbodus, veri fuerint Reges Frisiæ,  
An tantum Duces.



Nunc hanc velitationem protrudunt nos laudati viri, Ado, Sigebertus ( quorum prior ille sub Ludouico Simplici circa annum 880; Posterior sub Henrico tertio anno 1100. claruere ) Radbodum Frisiæ Principem Ducis solum titulo honorantes. Cum ijs sunt Trithemius, Albertus Krantzius lib.

11. Saxoniae cap .6. negans Frisios suæ gentis aliquando Regem habuisse. Limitat suæ gentis, nolens negare externos Nortmannorum Reges inuitis nonnumquam impositos, duos Godfridos, Roricum, Sigefridum, Rollonem, &c. vide eundem lib. 2. Norwagiæ & lib. 4. Dania.

Veruntamen propter horum dicta, non est quod nobilissimæ genti insignia regia auferamus, pluribus ijsque vetustioribus Authoritatibus pro ea staturis; Venerab. Bedæ contemporanei, nec nimium remoti ( longius audit regium nomen ) Marcellini putatitij vitæ Sancti Swiberti Scriptoris; Alcuini florentis sub Carolo Magno: Ionæ Abbatis in vita S. Wulfranni, Reginonis, qui anno 900. Scafnaburgensis, qui 1075. vixerunt: Annalium vetustorum à Doctissimo Pythæo editorum: Hædæ: Ioannis Becani, quorum omnium suffragijs Regis titulo decorantur Adgillus & filius Radbodus & assentiuntur recentiores; vt mirer excidisse Krantzio, falso gloriari Frisios se aliquando suæ gentis Regem habuisse, nullo exhibitio contra eos testimonio, nulla addita ratione. Sane ad Regiam dignitatem introducendam, non defuit terræ latitudo, non for-

tuna, non fortia facta, non spiritus populo animoso, nec emulatio vicinorum quibus reges erant præfecti. Madeblicum Frisiorum regum opus & arcem Regiam fuisse multis est persuasum. Vide Batauiam Adriani Iunij & Petri Bertij.

Nec obijciat siue Krantzius siue quis alius, prædictos Authores nostros fautores, reges accipere lato vocabulo à regendo, quo omnes qui præsidet, præsertim cum splendore & potentia, reges possunt nominari: inspiciat & perlegat dumtaxat eos, percipiet eos inter Reges, Duces, Cõites optimè potuisse distinguere & proprie loqui, prout Historico congruit: v. g. Venerab. Beda lib. 5. histo. cap. 11. Radbodum regem, Pipinum verò, quem constabat regem non esse, solum Ducem Francorum nominat, quamquam Regia Authoritate ingentiq̃ue potentia imperaret. Regalem hanc Radbodi coronam defendendam pariter suscepit Ianus Doufa, apud quem Ado & Sigebertus exculantur, scilicet, denegasse Radbodo regis titulum propter contumeliosam catholici ritus irrisionem, & in gentilismo pertinaciam, quâ rex audire non merebatur.

## DISSERTATIO XXIV.

A quo tempore Reges Frisia nacta est.



Esp. tempus præcisum plane est incertum ob fugientem nos antiquitatem. Occo Scarlensis & Chronica Frisiz statunt Adgillum patrẽ Radbodi quintum Regem Frisiz, consequenter Radbodum, sub quo venit S. Willibrordus, sextum. Suffridus lib. 1. de Origine Frisiorum cap. 9. Duo condit Frisiz

Regna, Orientale cuius caput Stauria, & Occidentale cuius caput Medenblicum, in quibus Reges esse cœperint.

anno